



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, M.DCCXI

§. I. Fundamenta dubitandi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84777](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84777)

DISPUTATIO II.

De circumstantijs Decretorum Pontificiorum.

SECTIO I.

An Decreta Alexandri VII. & VIII. & Innocentij XI. sint ex Cathedrâ, an non?

§. I.

Fundamenta dubitandi.

SUMMARIUM.

Aliqui volunt non esse nisi a Papâ ut capite Inquisitionis Rom. n. 1. & 2.

Infallibilitas non convenit Papæ, nisi ut loquenti ex Cathedrâ, n. 3.

Ea nulli Congregationi convenit, ibid.

Non est de Fide omne, quod dixit D. August. ibid.

Eximia Divi Aug. de se loquentis modestia, n. 5.

Summa absurda, si dicta Decreta non sunt a Papâ, n. 6.

Fundamenta opposita, n. 7. 8.

Hispana Inquisitio quando instituta, Romana quando? n. 10.

N. 1.



UDIVI, & legi, aliquos non vulgaris doctrinæ viros, & quidem non esse paucos, colligi potest ex Lumbier tom. 1. in annotatione ad decretum Innocentij, & ex P. Moya tom. 1. d. 8. quæst. 6. per totam, sed præcipue à n. 25. & ex P. Card. tom. 4. disp. 1. n. 99. cum enim hi DD. diverlis in Regnis, & Universitatibus vixerint, videtur in quolibet non defuisse, qui sequentem doctrinam docuerint. Dicunt ergo Decretum Innocentij, & utriusque Alexandri (eo modo, quo de Decreto Urbani

Lumb.

P. Moy.

P. Card.

N. 2.

Velasco.

Castala.

Delgad.

N. 3.

P. Card.

VIII. damnantis duplex pro unâ Missâ stipendium, & esse licitum partem stipendij sibi retinere, datâ alterâ parte alteri Sacerdoti, ut celebret, docuerunt expressè Velasco, Castala, Delgadillo apud Moyam tom. 1. tr. 3. l. c. n. 2.) dicunt, inquam, dictum non esse ex Cathedrâ, seu non esse Decretum Alexandri, & Innocentij, ut Pontificum, sed esse eorum Pontificum, ut sunt Caput Inquisitionis Romanæ, cujus autoritas licet sit in præcipiendo efficax, seu obliget in conscientia, non minùs ac alterius Principis, non tamen est in declarando infallibilis; infallibilitas enim non est privilegium nisi Papæ ut loquentis ex Cathedrâ, aut legitimi Concilij Generalis, ut certum est apud omnes, ait

P. Card. tom. 1. d. 9. n. 181. adeoque meri-

tò P. Giballinus lib. 5. de Scientiâ Canonica cap. 4. quæst. 6. n. 25. rejicit Gravinam tom. 4. contr. 5. art. 5. pag. 110. dicentem omnes Romanas Congregationes, Inquisitionis, Rituum, & alias errare non posse, esto hunc domesticum M. Jo. Mart. de Prado tr. 7. de Penitentia quæst. 3. dub. 2. n. 41. interpretetur locutum de toto Collegio Cardinalium, & in doctrinâ fidei, quod piè credi potest non defecturum à fide: verum si M. Gravinæ hoc tantum docet, nihil speciale docet; nam piè etiam credi potest nullam integram Religionem, aut Universitatem defecturam fide: cur ergo tam magnificè extollit infallibilitatem, quæ tota requiritur ad piam credulitatem, & cuique Religioni, aut Complutensium, vel Salmaticenium Academiae aptari potest? Similiter meritò Abulen- Abulen: Defensorio p. 2. cap. 81. quem sequitur Em. Aguirre, tom. 1. in S. Anselm. d. 2. & tom. 3. d. 136. sect. 2. & 3. rejicit aliquos modernos eâ tenacitate S. Augustino addictos, ut dixerint esse de fide, quidquid Augustinus scripsit in libris de Gratiâ; & idem Alexander N. 4. VIII. rectè damnavit has duas, Futilis, & toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium Œcumenicum autoritate, atque in fidei questionibus decernendis infallibilitate. Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clarè fundatam, illam absolvi potest tenere, & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam. Illa enim damnatur, quia negat Papæ infallibilitatem extra Concilium; hæc damnatur, quia illam concedere videtur Augustino. Vid. citatum Aguirre, & Herinx tom. 2. tr. 6. de Gratiâ §. 4. in Prolegomenis. Immo lege eundem S. Augustinum de se lo- S. Aug. quentem lib. de Bono perleverantiæ cap. 21. ubi ait: Neminè vellem sic amplecti omnia mea, ut me sequatur, nisi in ijs, in quibus me non errare perspexerit. Nam propterea nunc facio libros (loquitur de libris Retractionum, quos tamen non perduxit ad finem) in quibus opuscula mea retractanda suscepì, ut nec me ipsum in omnibus me secutum fuisse demonstrarem. Hæc D. Augustinus modestissimè de se sentiens, quia omnium doctissimus.

P. Gib.

Gravin.

M. Mart.

Abulen:

Em.

Aguirre.

N. 4.

Alex.

VIII.

Herinx.

S. Aug.

N. 5.

Cum ergo, ut dixi, non desint aliqui, qui N. 6. velint dicta Pontificum decreta non esse ab illis, ut Magistris totius Ecclesiæ, sed ut Capitibus Rom. Inquisitionis, operæ pretium duxi

duxi hanc quaestionem ex professione agitare; si enim Decretum Innocentij ex. gr. (idem dic de alijs) est ab Innocentio ut Capite Rom. Inquisitionis, sequitur primò, quod ubi hæc locum non habet, non obligabit. Secundo, quod non erit omnino certum, si fide Divina, ut docui, si certitudine Theologica, ut docent alij, esse illicitum quod Papa declarat illicitum, sed ad summum erit moraliter certum, eo modo, quo est tantum moraliter certum opinionem damnatam ab Inquisitione ut improbabilem, esse talem, non autem erit infallibile; atque adeo poterit saltem successu temporis apparere argumentum aliquod, quod hanc damnationem enervet. Tertiò, quia actum erit de omni eo, quod in favorem Papæ adducitur, & de obligatione non opinandi oppositum sine hæresi, aut errore in fide; erit enim de subiecto non supponente, & quotquot docent hoc decretum esse Innocentij, ut puri Præsides Inquisitionis universales Rom. ridebunt nostra argumenta, immò actum erit de Decretis Alexandri VII. damnantis 45. propositiones, de Decreto Clementis VIII. damnantis absolutionem inter absentes, Urbani VIII. damnantis duplex pro una Missa stipendium, nullum enim, ait P. Moya *tom. 1. tr. 3. d. 8. quest. 6.* ex illis decretis publicatum est in Hispania: ergo in Hispania nulla erit obligatio repudiandi opiniones à Clemente VIII. Urbano VIII. & Alexandro VII. damnatas; etsi enim daretur leges Pontificias obligare etiam, ubi non sunt promulgatae, (de quo *Sell. sequenti*) negabunt tamen has esse leges Papæ ut Pastoris universalis, sed ut Capitis Inquisitionis Romanæ. Jam audiamus fundamenta hujus opinionis, quæ nuper Complutensis suis Auditoribus dictavit.

N. 7. Argumentum est: quia decretum certò Pontificium non solet emanare ab Inquisitione, nec à Papa, ut Præsides illius, nec ab Inquisitionis Notario subscribi; immò quid amplius desiderari potest ad decretum, ut certo non sit Pontificium, sed sit à Papâ, ut Præsides Inquisitionis Romanæ, quàm quòd sit à Papâ in Generali Inquisitione Præsidente, & quòd opiniones damnatæ subiectæ fuerint DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem, & quòd idem decretum sit à Romanæ Inquisitionis Notario subscriptum: sed decretum Innocentij est tale, ut constet, tum ex titulo, ait enim, *Decretum SS. D. N. Innocentij XI. in Generali Congregatione S. Romanæ, & Universalis Inquisitionis*; tum ex procemio, ait enim opiniones damnatas subiectas fuisse Em. DD. Cardinalibus contra hæ-

Tom. I.

reticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus tum ex fine decreti, subscribitur enim nomē Notarij S. Romanæ, & Universalis Inquisitionis: ergo illud Decretum Innocentij non est Pontificium, est enim à Papâ, ut Præsides Inquisitionis Romanæ: ergo non obligat, nisi Inquisitionis Romanæ subiectos.

Confirmat primò: Decreta certò Pontificia hoc tenore incipiunt, *Ad perpetuam rei memoriam*, & subscribuntur à Datario, ut patet in Bullis: sed Decretum Innocentij, & Alexandri VII. & VIII. incipit, *In Congregatione Generali S. Romanæ, & Universalis Inquisitionis habitâ in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram SS. D. N. Innocentio* (idem dic de Decretis utriusque Alexandri) *Divinâ Providentiâ Papa XI. ac Em. & Rev. DD. S. Rom. Ecclesie Cardinalibus, in totâ Republicâ Christianâ adversus hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus à Sede Apostolicâ specialiter deputatis*: ergo clarè conitat, quod ea decreta lata sint in dictâ Congregatione à Papâ, ut Præsides illius.

Confirmat secundo: Si decreta Alexandri, & Innocentij essent Pontificia, non egerent, ut omnes etiam Inquisitioni Hispaniæ immediate subiectos obligarent, saltem quatenus declaratoria sunt, promulgari in Hispaniâ; qui enim tuentur leges Papæ non obligare, nisi ubi sunt promulgatæ, intelligunt tantum, & loquuntur de legibus Papæ ut præceptivis, non autem ut declarativis; aliâs definitiones Tridentini non obligaret, ubi Tridentinum non est promulgatum, quod est hæreticum: sed dicta decreta eguerunt aliâ, quàm Romanâ publicatione, saltem, ut obligarent Hispanos: (quorum Inquisitionis Tribunal non tantum est quinquaginta novem annis antiquius Romano, & est etiam Supremum, ait Lumbier *tom. 1. n. 461.* Romanum enim, ait M. Mart. de Prado in Theol. Mor. cap. 3. de Legibus *quest. 7. n. 9.* institutum fuit à Paulo III. anno 1542. Hispana autem Inquisitio instituta fuit anno 1483. aiunt Paramus *lib. 2. de Origine Officij S. Inquis. titulo 2. cap. 1. & Carenæ de Officio S. Inquisit. p. 1. tit. 3. & 5. fusc*) ut expressè tradit apud P. Moyam *n. 21.* Leander à Murcia *tom. 2. lib. 4. d. 1. & 3.* & alibi, ubi nunc probat, nunc supponit decreta Alexandri VII. post quæ scripsit, non obligare Hispanos, quia in Hispaniâ non fuerunt promulgata, & docet aliquas ex damnatis ab Alexandro, ut videri potest apud Torrec. *diff. 3. a. n. 3.* qui citat loca, & opiniones Murciæ, & alias, quas Gavarrî in sua Praxi docuit post eadem Alexandri decreta.

D

creta.

N. 8.

N. 9.

Lumb.
M. Mart.Param.
Carenæ

Murci

Torrec.
Gavarrî

N. creta. Addi potest, quòd si Decretum Innocentij est Pontificium, cur Innocentius petijt à Generali Inquisitore Hispano, quòd ille suo, non autem Rom. Pontificis nomine, propositiones à se Romæ damnatas suo edicto in Hispaniâ damnet: certè si esset Pontificium, non egeret saltem ut declaratorium aliâ promulgatione, & multò minùs aliâ prohibitione: sed Innocentius petijt hoc ab Hispano Inquisitore, qui suo, non autem Papæ, nomine decrevit, & præcepit, ut Hispani implerent Decretum Innocentij, quòd sanè pliusquam otiosum esset, si Innocentij Decretum esset Pontificium, non minùs, ac si Parochus suis ovibus præciperet ea, quæ ipsè præcepit Episcopus: ergo tale decretum non est Pontificium. Minor probatur ipsi ferè edicti Inquisitionis Hispanæ verbis, quæ ad extensum recitantur à Filgu. in Lucernâ decretali in Anteloquio pag. 10. Nos D. Diego Sarmiento de Valladares Inquisidor General en todos los Reynos, y Señorios de su Magestad, &c. Por quanto Innocencio XI. en Congregacion General de la Santa, y Universal Inquisicion de Roma decreto, que debian ser condenadas, como condenò, 65. proposiciones.... Por tanto por las presentes mandamos a todas.... que cumplan el dicho Decreto. Ecce ad oculum, Generalis Hispaniæ Inquisitor non promulgat Decretum Romanum, sed aliud novum pro Hispaniâ edit; hoc enim significat, to mandamos por las presentes: ergo Decretum Innocentij non fuit Pontificium.

N. Hinc inferitur, quòd cum propter rationes adductas sit ad minimum valde dubium, an hæc Decreta Alexandri, & Innocentij sint Pontificia; & ex doctrina communi, in omni dubio saltem juris, præcepti, aut declarationis, lex, præceptum, & declaratio non obligent, quia melior est conditio possidentis, possessio autem est pro libertate; hinc cum dubium sit, an ea Decreta sint Pontificia, & multò magis, an sint definitiones Pontificiæ, consequenter, nec ut declarativa, nec ut præceptiva obligant, nisi eos, qui Romanæ, non autem Hispanæ Inquisitioni subiecti sunt: nõ ut declarativa, quia licet Decreta Papæ, ut Generalis Fidei Inquisitoris, sint gravissimæ autoritatis, hæc tamen autoritas est in docendo fallibilis; nam assistentia Spiritus S. non est promissa Papæ, nisi ut Capiti totius Ecclesiæ, non autem ut Capiti Inquisitionis Romanæ: non ut præceptiva, quia Hispani non sunt subiecti Inquisitioni Romanæ: ergo Hispanos non obligant; & ideo post Alexandri Decretum aliqui adhuc docuerunt aliquas ex damnatis, quia Decreta Alexandri non fuere ab Hispano Inquisitore pro-

mulgata. Quòd si Decretum Innocentij ut præceptivum obligat Hispanos, est, quia confirmatum, & innovatum fuit ab Inquisitione Hispanâ. Si autem quæretur, ad quid Decretum Hispanæ Inquisitionis Hispanos obliget: dico obligare eos sub gravi ad non sequendas, practicandas, docendas opiniones ab Innocentio damnatas, nam obligat ad implendum omnia, quæ Innocentius in suo Decreto præscribit. Similiter obligat non tantum sub gravi, sed etiam sub cenura excommunicationis latæ sententiæ ad denuntiandum Tribunali quemlibet, qui ei Decreto quomodolibet contraveniat. Hec ferè Complutensis Doctor, qui tandem concludit, quòd licet sententia hæcenus à se probata, videatur sibi probabilissima, attamen, ut illi certò se fidat, expectare aliorum iudicium, seque ignorare, cur hanc sententiam illi docere non audeant, qui suppresso nomine apud M. Lumbier, & P. Cardenas, Lumb. veram putant; neque enim quidquam de P. Card. trahit Papæ authoritati, in quem tam peccari potest per excessum, dicendo ejus Decreta esse Pontificia, cum constet non esse talia, vel saltem non constare esse talia, quam per defectum negando esse talia, dum constat esse talia.

§. II.

Praambula ad veram sententiam.

SUMMARIUM.

Papæ autoritas infirmatur à scrupulosis questionibus, n. 12.

Ubi agitur de rei quidditate, communi definitioni standum, n. 13.

Quid sit loqui ex Cathedrâ, & unde cognosci possit? n. 14.

Mens TT. ibid.

SEmp̃er in eâ sententiâ fui, quòd Pontifici- N. cis autoritas plurimum à scrupulosis 12. questionibus infirmetur, non minùs ac veritas nimis subtilitatibus implicatur. Scio easdè à TT. non nisi sincere studio veritatis tractari; vereor tamen, ne ipsèd trices, quibus veritatem venari conantur, eandem potius opprimant. Explico me. Certum de fide est Papæ loquenti ex Cathedrâ, & totam Ecclesiam instruenti, infallibilem Spiritus S. assistentiam promissam, & Papæ ita loquenti cõco intellectus obsequio credendum. In hoc omnes TT. consentiunt. Jam rogo, quid utilitatis inde proveniat, an sine Concilio dicendus sit Papa loqui ex Cathedrâ? an ad locutionem ex Cathedrâ matura præcessisse debeat deliberatio? an ad maturam deliberationem